aut prohibetur, ità sentio, ut si personæ status insimul turbetur, id est, si persona Patriæ, tutoriæ, vel curatoriæ potestati subjiciatur, vel exinde eximatur, tunc quidem Statutum sit personale; si verò iste status personæ non alteretur, Statutum sit reale, & in dubio, si v. g. Statutum vetet, ne uxor bona sinè consensu viri alienet, siquidem Statutum hoc latum sit favore mulieris, ne lubrico sexûs ipsa lædatur, & tunc talis uxor intelligatur subjecta curatelæ mariti & Statutum sit personale; & econtra, si Statutum respiciat favorem mariti forsan in bonis uxoris usumfructum habituri, ne in hoc ipsi facto solius uxoris præjudicetur, & damnum inferatur, ut tunc Statutum sit dicendum reale. Tiraquel. *ad Leg. connub. l.* 16. *Gloss.* 8. *n.* 225. *& seqq.*

CAPUT IV.

Cujus Loci Statutum in Conflictu sit attendendum.

THESIS V.

N. I. Dico imò: In Conflictu Statutorum personalium attenditur Statutum domicilii, sive ubi persona, quâ de quæritur, actu domiciliata est, Paul. Christin. *Decis. Belg. Vol.* 2. *decis.* 56. *n.* 6. Voetz. *in Histor. Juliac. n.* 54. Burg. *Tract.* 1. *n.* 3. *&* 32. *&* 53. *& Tract.* 2. *n.* 7. Ita ut quòcunque se transtulerit persona Statuto domicilii affecta, habilitatem vel inhabilitatem adeptam domi circumferat ubique, ac in universis territoriis Statutum domicilii suum exerceat effectum, Argent. *arg.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 4. aliíque jam statim supra cit. adeóque nulli liceat Statutis caput suum subducere, ne quidem in fundorum alibi sitorum alienatione, Rodenb. *d. tractat. tit.* 2. *C.* 1. ab hac communi sententiâ dissentit Voet. *in ff. de Constit. Principum. n.* 7. *& seq.* dissentire quòque videtur, & contrarium sustinere. Gail. *Lib.* 2. *obs.* 124. *n.* 12. Sed, si mecum sustineas, Statutum Personale tantùm illud esse, quod turbat, vel mutat personæ statum, aut conditionem citra ullam rerum mentionem, comperies, Gail. *dicto loco.* non loqui de Statuto Personali, sed Reali; loquitur enim de Statuto: ne filiusfamilias testari possit de bonis castrensibus, quòd Statutum non personale, sed reale esse sustineo. Eodem modo dissentire videtur Carpz. *p.* 3. *constit.* 12. *def.* 12. *n.* 6. sed de reali quòque, non personali Statuto refert Carpz. *d. l.* In exemplo res clarior evadet. In hac Urbe, in Archi-Diœcesi Colon., utì quòque in Ducatibus Jul. & Mont. minor est, & permanet, qui 25. annum nondum complevit, hæc qualitas minorennitatis sese extendit ad bona ubicunque sita, etsi in loco bonorum sitorum aliud, imò contrarium Statutum vigeat, Voetz. *in Hist. Iul. n.* 56. quamvis contrarium velit Burg. *in sæpe citato Tract.* sustinens, dari Statutum mixtum; ast absurditatem ex ejus exemplificato Statuto mixto evenire, certum est. Pariformiter, si Statuto conceptum sit, ut uxoratus Patriam evadat potestatem, quà talis, quòcunque se transtulerit, Pater, non filiusfamilias est, nil obstante Statuto aliorum locorum contrario: sicut à simili, nobilitatus in uno loco non exuit hanc qualitatem in alio, sed hæc ubivis personam sequitur.

2. Cur autem legitimatus in uno loco non habeatur pro tali in alio, utì nobilitatus in uno loco habetur talis in alio, communi populorum consensu ita introductum est; in materiâ legitimationis autem receptum est, attendi debere potestatem legitimantis, adeóque legitimationem non extendi ultra territorium legitimantis.

Quæ-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

3. *Quæres.* Cujusnam ergo Statutum domicilii attendi debeat, si personâ duplex foveat domicilium? in casu; Mæv. in loco A. natus ibidem instruxit domicilium, in loco B. proprium quòque fixit larem, ut & medio tempore hìc, medio illic domicilium habeat, Mæv. in loco A. efficiente Statuto major evadit Anno 22. in loco B. An. 25to, juxta cujúsnam loci Statutum Mæv. sit habendus Major vel Minor, respectu alienationis bonorum immobilium, nec in loco A. nec in domicilio B. sed alibi sitorum? certum est, mobilia, si defunctus duplex habuerit domicilium, devolvi secundùm utriusque loci Statutum, Schop. *ad Leges Paris. lib.* 1. *t.* 3. *n.* 11. *in fine* sed circa alienationem immobilium extra locum domicilii sitorum Statutum originis attendi debere, sustinet Carpz. *parte* 3. *constit.* 12. Mihi tamen præplacet sententia Burgund. *Tract.* 2. *n.* 9. tenentis, quòd, qui rem immobilem sinè decreto comparavit ab illo, qui duplex habens domicilium in uno Minorennis, & in alio Majorennis erat, rectè possit allegare, se forsan ignarum alterius domicilii spectâsse conditionem personæ, quacum contraxit, ex alterius domicilii Statuto, vi cujus persona Majorennis erat, atque ita rem immobilem sese validè comparâsse; quoad capacitatem verò contrahendi vel alienandi in utroque domicilii territorio, utrumque loci Statutum est observandum.

4. *Dico* 2*dò.* In Conflictu Statutorum Realium semper attenditur Statutum loci, ubi bona sita sunt, Carpz *p.* 3. *C.* 12. *def.* 12. *n. & seqq.* Gail. *lib.* 2. *obs.* 124. *n.* 14. *& seqq.* Joannes à Sande *Decis. Fris. lib.* 4. *C.* 8*vo. def.* 7. Voetz *in Hist. Jul. n.* 57. ideóque omnium rerum successiones secundùm Statutum loci, ubi res sitæ sunt, regulantur, Rodenburg. *in sæped. Tract. tit.* 2. *C.* 2. Ita quidem, ut obligentur etiam Forenses, & non subditi, quoad bona in territorio statuentium sita, Natta *Cons.* 148. *n.* 3. Carpz. *dicto loco n.* 4. Quare Statutum exstans in Ducatu Juliæ & Montium *in Ord. Cap.* 74. wie mancherley Kinder. ligat Forenses, quoad bona in Ducatu Jul. & Mont. sita, Voetz *in Hist. Jul. n.* 73. Ast hæc Statuta Realia Territorii concluduntur limitibus, atque ità intrat Decisio Gail. quem Thesi præcedente retuli, quòd Statutum sive in rem sive in personam conceptum non egrediatur Territorium, scilicet Reale; de quo Gailii sententia concludit; itaque Statutum v. g. quo filia dote contenta esse, & illâ acceptâ ab hæreditate abstinere debeat, non obtinet in bonis extra Territorium statuentis sitis. Mynf. *Cent.* 5. *obs.* 43. Ita ut supplementum per Statutum diminutæ legitimæ ex bonis extra Territorium sitis petere possit; neque refragatur, quòd successio sive hæreditas sit omnium bonorum, in eáque comprehendam mobilia, imò nomina, actiones, & Jura debitorum; eadem enim in illis obtinet decisio, quia esse intelliguntur in loco domicilii, secundùm cujus Statutum regulantur, Carpz. *p.* 3. *cons.* 12. *def.* 14.

5. *Quæres.* Quid dicendum in Conflictu Statutorum circa reditus, ùt si tales in Civit. A. habeantur, alii, ac in Civit. B. ideóque cùm v.g. juxta *Statuta Coloniensia art.* 14. *in Ord. Archid. Colon. Tit.* von der Leibzucht. *In Ord. Duc. Jul. & Mont. Cap.* 74. Ultimus superstes de bonis immobilibus exstantibus liberis habeat usumfructum, in Ducatu autem Jul. & Montium reditus redimibiles licèt in reali hypothecâ constituti, accensentur bonis mobilibus; in hac Civitate verò & in Archid. Colon. reditus in reali Hypothecâ, ad longum tenpus constituti, etsi redimibiles, accensentur bonis immobilibus, uti & obligationes scriptæ; pignus antechreticum, quod quòque in Ducatu Juliæ ac Montium pro re mobili habetur, an Conjuge uno mortuo in hac urbe vel in Archid. Colon. ultimus superstes lucretur reditus redimibiles, in Ducatu Jul. & Montium existentes ùt bona mobilia? an verò ùt in bonis immobilibus tantùm habeat in illis usumfructum? ℟. cùm certum sit, quòd qualitas mo- vel immobilitatis redituum desumenda sit à loco, ubi reditus applicati

 sunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſunt, Voetz *ff. de Conſtit. Principum* §. 2. *de Statut. n.* 11. *in fine.* & in Ducatu Jul. & Mont. reditus redimibiles pro bonis mobilibus habeantur, hinc manente tali qualitate, reditus illi devolvunt ſecundùm Statutum Archid. Colon. ùt bona mobilia, non ut exuant qualitatem mobilaritatis, verùm ut illâ retentâ ſicut alia mobilia, ſecundùm Statutum devolutionem mobilium regulans devolvantur. Eodem modo Caſu converſo Jul. conjuges in hac Urbe habent reditus in reali hypothicâ ad longum tempus conſtitutos redimibiles, vel obligationes ſcriptas, aut pignus antechreticum, ultimus ſuperſtes non lucratur illos ùt mobilia, ſed quâ qualitate immobilaritatis à loco, ubi applicati ſunt, affectos, tantum in illis uſumfructum. Nec aliud ſtatuendum de pecuniâ ex re immobili redactâ, quæ hac in urbe, donec iterum applicata fuerit, in Scrinio relinquenda manet immobilis, in Ducatu Jul. fit mobilis.

6. Ex præmiſſis quòque patet, quid ſentiendum de reditibus, quæ debentur à Provinciis, Civitatibus aut Municipiis: quòd ſcilicet à quovis territorio in ſucceſſionibus accipiant leges, in quo ſitum habere aut exiſtere intelliguntur, Rod. *tit.* 2. *C.* 2. *in fine.*

7. *Dico* 3*tiò.* In conflictu Statutorum circa ſolemnia ſemper obſervari debet Statutum loci, ubi actus celebratur, Mynſ, *Cent.* 5. *obſ.* 20 *n.* 4. Carpz. *parte* 3. *conſt.* 6. *def.* 12. *n.* 1. ita ut actus validus in loco, ubi celebratus eſt, valeat ubique, Voetz *in Hiſt. Jul. n.* 59. Itaque teſtamentum factum ſecundùm ſolemnitates loci, ubi teſtator ſuprema ſubiit, valet per totum mundum, Gail. *Lib.* 2. *obſ.* 123. *n.* 1. adeóque faciens teſtamentum extra hanc urbem, licèt hìc habeat bona immobilia, non tamen tenetur adhibere Scabinos Alti Judicii ad hunc actum aliàs neceſſarios, nisì reverſus in urbe duobus menſibus ſupervixerit, tunc enim teſtamentum coram Scabinis renovari debet juxta *Art.* 2. *Statutorum hujus urbis.* Ab hac communi ſententiâ diſſentit Burg. *Tract.* 4. *n.* 3. requirens ſolemnitates cujuslibet loci, ubi bona ſita ſunt; ab hac quòque receſſerunt Cujac. *obſ. lib.* 14. *cap.* 12. Fachin. *lib.* 5. *cap.* 9. qui ſententiæ ſuæ fundamentum ponunt in *L. Sed ſi. ff. de Jure Fiſci. in L. Non ſpec. C. de Teſtamentis.* Sed argumenta hæc tanti ponderis non ſunt, ut à communi ſententiâ tot rerum judicatarum & calculorum authoritate ſuffulta divortium faciam: quanquam, verum ut fatear, nihil Juris ſit ſtatuenti in bona contrariis legibus ſubjecta, ut tranſcribendis illis in aliam certam formam ſuſtineat Legislator præfigere, ſed communis efflagitat neceſſitas, quòd DD. æquè ac tribunalia ſecundùm formam loci ordinatum teſtamentum plenum ubique ſortiri effectum voluerint; econtra abſurdum foret de ſingularum regionum poſſeſſionibus ſingula exarare teſtamenta, vel unum idémque teſtamentum alio atque alio ſolemnitatum Jure inſtruere, planéque repugnaret liberæ ad extremum vitæ ſpiritum voluntati; & qui aliò loci negotiorum causâ delatus ſubitóque morbo correptus fuerit, ſic vel invictiſſimo neceſſe eſſet, decedere inteſtatò vel ordinata ante ſuprema mutare, atque ita eum non poſſe jam fato propinquum hæredes habere quos optaverit.

8. Quod de teſtamentis adductum eſt, extenditur quòque ad contractus ex præmiſsâ concluſionis generalitate, ita ut talis, cui adhibitæ ſunt ſolemnitates loci, ubi celebratus eſt, valeat ubique, etſi alibi majores ſolemnitates requirantur, Gail. *lib.* 2. *obſ.* 123. *n.* 3. & 4.

9. Sed quæritur primò: An teſtamentum vel contractus adhibitis ſolennitatibus loci, ubi actus celebratus vel teſtamentum conditum eſt, valeat etiam quoad bona extra territorium ſtatuentium ſita, ſi illa aliis atque contrariis ſolemnitatibus ligata ſint? indiſtinctè hoc affirmat Gail. *dicto loco*, exemplum ſuppeditans, quòd inſinuatio donationis vel contractus donationis validus in loco, ubi peractus eſt, valeat ubique etiam quoad bona extra Territorium

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

titorium sita, licèt aliis solemnitatibus bona subjecta sint, & quidem ad similitudinem ejus, quòd hæres adiens hæreditatem in loco A. intelligatur adiisse hæreditatem etiam quoad bona ubicunque sita, *Gail. dicto loco.* sed prius fallere demonstrat exemplum *Ord. Jul. cap.* 102. ubi ad donationem validam requiritur solemnitas der Erb- und Enterbung / auch Raumung Jahrs und Tags Hoc posito: Coloniensis Civis habens bona in Ducatu Jul. sita non validè donat, nec donationem perfectam facit in hac urbe, nisì adhibeat in Duc. Jul. & Mont. prædictam solemnitatem. Hinc Gail. sententiam procedere dico in testamentariis alienationibus, non verò actibus realibus seu mancipationibus, in quibus, si Statutum dicat, nullam esse mancipationem vel donationem, nisì adhibita tali solemnitate, eadem adhiberi debet, Rodenb. *Tit. 2. Cap. 7. & seqq.* Communis enim in testamentis id expostulat necessitas.

10. *Dices 1.* Ad quid ergo præmissa conclusio, quòd, quoties Statutum habilitat vel inhabilitat contractum, attendi debeat Statutum loci, ubi contractus celebratus est, & taliter celebratus valeat ubique? Resp. dictam conclusionem tamen procedere, etsi in bonis alibi sitis requiratur alia solemnitas quoad effectum obligationis personalis; licèt non semper procedat quoad effectum realem dominii transferendi, ità tamen, ut vi contractûs celebrati donatarius actione personali donantem ad adhibendam solemnitatem requisitam in bonis donatis regulariter astringere possit. Dixi regulariter, quia tradit Voetz *in Hist. Jul. n.* 186. quòd vivus donator propter verba Statuti Raumung Jahrs und Tags donatas res occupando seu intrando possessionem rei donatæ intra annum & diem fortè ad illam realem solemnitatem non adstringi, sed donationem pœnitentiâ revocare possit.

11. *Dices 2.* Testamentum secundùm solemnitates loci, ubi conditum, valere quoad bona alibi sita; fallit tamen, si prohibita sit de bonis alienatio vel testamenti factio. Resp. Fallere non propter solemnitates non adhibitas, sed quia Statutum Testamenti factionem prohibens, reale est, quale directè afficit bona, ità ut obliget exteros non subditos quoad bona in territorio statuentium sita, non deficit ergo testamentum propter solemnitates non adhibitas, hincque præmissa conclusio non fallit ex hoc capite, sed eapropter, quia per Statutum reale bona per quamlibet ultimam voluntatem sunt alienari prohibita, & hæc qualitas inalienabilitatis ipsis est bonis impressa.

12. *Quæritur. 2do:* Quid Juris, si quis actum celebraverit, v. g. testamentum condiderit in territorio B. ejus tamen solennitates non adhibuerit, interim verò adhibuerit omnia solemnia requisita in loco bonorum sitorum? & quidem in hac quæstione Berry *de Success. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 46. relatus à Rodenb. *Tit.* 3*tio. C.* 3. *n.* 2. *in med.* distinguit inter subditum & peregrinum sive forensem, illius, non hujus testamentum valere sustinens, econtra verò utriusque testamentum, quoad bona sita in loco, cujus solennitates servatæ sunt, fore validum asseverat Rodenb. *loco cit.* hâc allegatâ ratione: quòd quasi benignitas æquitatis non patiatur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem *L.* 25. *ff. de legib.* Verùm eâ ratione non obstante, teneo

13. testamentum etiam quoad hæc bona futurum esse nullum, quia sicut validitas, sic etiam invaliditas ratione solennitatum dependet ab observantia vel neglectu solennitatum requisitarum à Statuto loci, ubi actus celebratus est, & in hanc quòque sententiam inclinat Mæv. *ad Jus Lub. p.* 2. *tit.* 1. *art.* 16.

14. Quid autem, si quis secundùm formam Juris Romani testatus fuerit eo in loco, ubi coram Notario, vel Parocho, vel Scriba Judicii adhibitis insuper duobus, tribus vel quatuor testibus testamenta condi solent, dicamusne testamentum valere? & dico valere cum Rodenb. *Tit.* 2. *C.* 3. *n.* 3. ubi ratio-

 nem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nem dat, quia Statutariæ testandi formæ non contra, sed præter Jus Commune introductæ, unde rectè dici posse videatur per hodiernam testandi formam utpote planiorem remissam esse operosam illam ac onerosam septem testium adhibendorum solennitatem, cui tamen, si quis etiamnum alligare se voluerit, nihil ei sit impedimento: hinc cum aliquando in Foro Lubecensi, ubi alia suáque testandi forma præscripta usu invaluerat, in litem venisset, utrùm secundùm Juris Romani formam ordinatum testamentum subsisteret, pro eo pronuntiatum est, teste Mæv. *ad Jus Lub. quæst. prælim. 9. n. 44. & p. 2. tit. 1. art. 2. n. 162.*

Etsi nunc quidem tota Conflictûs Statutorum materia juxta triplicem Statutorum diversitatem in tribus quòque præmissis conclusionibus principalibus absolvatur, quia tamen res quævis fieri solet exemplis illustrior; eapropter exempla & casus speciales magìs dubios ad illustrandam, & ut clarior evadat Conflictûs materia, lubet subjungere.

THESIS VI.

N. I. Hìc omnium prima, quæ præclarissima torsit virorum ingenia, sese offert Quæstio: num Statutum, quo cavetur, ut inter conjuges sit communio bonorum, Reale sit, & quà tale territorii limites non excurrat, nec ad bona alibi sita se extendat; num verò Personale sit, & quà tale quæcunque bona complectatur? in diversas DDres
2. abiêrunt sententias, & inextricabilem quasi excitârunt conflictum. Molin. *Consilio 55.* Personale esse Statutum inducens communionem bonorum acriter tueri conatur, atque ita alterius territorii bona communioni inclusa esse
3. defendit. Quòd Reale sit, & territorii limitibus includatur, vult Argentreus *d. art. 218. Gloss. 6.* mediam quodammodo viam ingressus est Burgundus *tract. 11. n. 5to.* atque ita mixtum denuò sibi figurat Statutum, ut quà tale quoad mobilia Personale quidem sit; sed ad alterius territorii bona immobilia vim suam non extendat. Proponit quidem etiam quæstionem hanc, nihil
4. tamen ipse decidens Lamb. Gorris. *Tract. 1. in adver. cap. 6.* Duas inter se discriminat Rodenb. *T. 2. C. V. n. 12.* hujus communionis species, aut enim nullo (inquit ipse) habito tractatu de communione bonorum in pactis nuptialibus initur matrimonium Statuto solummodo trahente secum communionem; aut pactis antenuptialibus communio bonorum expressè pacta est.
5. Neque 3tiam speciem, quam ponit Argentreus *d. l.* censet esse admittendam, aut tabulis antenuptialibus pacta est, sed simpliciter tantùm bonorum communio; nam quòd pacta, sed simpliciter bonorum communio, accipienda tantùm sit de bonis, quæ domicilii finibus includuntur, ùt jam dictus vult Argent. apertè falsum est, nisì consuetudo aut Statutum communionem bonorum intrà cancellos territorii expressim coërceat; paciscentes
6. enim pacto aliquid superaddidisse intelligi debent. Duplex ergo est penès Rod. *d. l.* communio bonorum, & illa quidem à modo, quo inducitur sic appellata; vel enim matrimonium contrahentes præter Statutum communionem bonorum expressè paciscuntur, vel stante tali Statuto simpliciter
7. sinè pactione præviâ matrimonium ineunt. De 1mâ specie magìs communiter & satìs bene DD. consentiunt, hanc communionem quæcunque bona sive in - sive extra territorium sita includere. Heeser *p. 2. loco 8. n. 115.*
8. Giurba *ad Consued. Milan. Cap. 1. Gloss. 2. n. 126. & alii.* 2dam verò speciem nulla bona extra territorium sita afficere, vult Schaffan *ad Consuet. Burg. Rub. de droits & apartenans à Gens maries. §. 2. in verbis Selon la generale coutume.*
9. Econtra Rodenb. *Tit. 2. C. V. n. 14.* cumque secutus Lauterbach. *Disput de bono-*

bonorum Societate conj. cap. 2. §. 14. indistinctè tenent, quòd & pactitia & consuetudinaria tacita communio bonorum omnes res ubique sitas vel bona extra territorium sita includat, non adeò respectu Statuti, quod reale est, sed vi tacitæ contractæ societatis & inde intervenientis fictæ traditionis, quâ omnia bona communicata esse intelliguntur; ùt enim ex Jure constat, omnium bonorum contractâ societate tacitè intelligi intervenisse traditionem *L.* 2. *ff. Pro socio.* utì & ex tacita conventione illata & invecta in horreum vel aream pignore obligantur ex eo solo, quòd de illorum illatione conventum sit, licèt ulteriùs, ut pignore obligarentur, expressè conventum non fuerit. *L.* 3. *ff. In quibus causis pignut tacit. L.* 5. *C. Locati conducti.* Ratio est, quòd tacitæ conventiones valeant, ùt expressæ, *L.* 4. *ff. de Pactis.* ità & tacitam per Statutum introductam communionem vel societatem bonorum vi tacitæ seu fictæ traditionis effectum sortiri dicunt eundem, quem operatur
10. expressè pactitia. Interesse tamen dicit Rodenb. *l. cit.* inter pactitiam & Statuto simpliciter introductam communionem bonorum, quòd illa etiam operetur effectum particularem in bonis extra territorium sitis, quibus certa traditionis solemnitas præscripta est, hunc scilicet, ut si conjux solemnitatem hanc ad validam traditionem requisitam adhibere recuset, actione personali ad interesse teneatur. In tacita autem à Statuto introductâ communione conjux nullâ actione ad interesse teneretur, neque tacita hæc communio bonorum se extendat ad bona alibi sita, certâ traditionis solemnitate
11. affixa. Quoad hoc autem rectiùs dissentit Laut. *L. cit. th. XV.* hac allegatâ ratione, quia ejusmodi Statuta, quæ certam formam alienationibus imponunt, exaudienda sunt de alienationibus illis, quæ fiunt mediante traditione vera, non verò de illis, quæ ipso Jure sinè præcedente aliqua traditione peraguntur; hìc autem cum alienatio seu communicatio rerum ipso Jure fiat, eousque extendi nullo modo debent, ne correctio Juris Communis per tacitos & subauditos Statuti intellectus introducatur, aut dispositio ejusmodi Statutorum ultra casum expressum extendatur. Lauterb. *loco. cit.*
12. Ego tamersi credam, suprafatas DDrum sententias praxi Patriarum, in quibus præallegati DDres vixerunt, esse receptas, & saltem pro exteris illis territoriis bene posse defendi; attamen praxi meæ & citimarum patriarum quoad immobilia conformem judico sententiam Argent. *ad Consuet. Brit. art.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 33. *& seqq.* Communionem bonorum non tacitæ contractæ societati, sed soli Statuto attribuentis, quid enim, inquit, si interim minor, qui de immobilibus disponere nonpotest, in loco communionis bonorum matrimonium contraxisset? sanè tunc communio non pactitiæ societati, sed Statuto simpliciter adscribi deberet, & quia Statuta circa communionem bonorum realia sunt, ideo singulorum locorum, ubi immobilia sita sunt, attendi debere, teneo cum Argent. *loc. cit.* nec communio bonorum contracta in loco matrimonii se extendit ad bona alibi sita, si in loco bonorum sitorum nulla obtineat communio.

13. Supra in Capite 2do Th. 3. retuli per articulum decimum Statutorum Coloniensium introduci communionem bonorum inter conjuges hujus Urbis, sed qualia bona in hanc communionem veniant, mirificè inter se confligunt hujatis Urbis Advocati & Juris-Consulti, atque indefessè variis, ac contrariis Juris Responsis, & quotidianis perennantibus ferè Processibus tribunalia fatigant, hinc hanc quæstionem pro ingenii viribus funditus examinandam & diversis Juris fundamentis ac judicatis illustrandam præterire non debui; pro meliori ideo intellectu integrum lubet referre Articulum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Rubrica.

14. **Mann und Weib / die im ehelichen Stand keine Kinder haben / und ihrer eins stirbt ohne Testament oder Vermächnüs / wie die nechste Erben mit dem Letztlebenden alle Gereide Güther theilen sollen.**

ALsch so wollen wir fortan gehalten haben unsere gute alte Gewohnheit und Herkommen / die man vor langen Jahren also gehalten / und auff uns bestättigt sein von Päpsten / Kayseren und Königen / und Ertzbischoffen / daß / so / wan Mann und Weib beyeinander kommen / und im Ehelichen Stand beyeinander sitzen / ist es Sach / daß sie keine gewisse Geburt gewinnen und ihrer eins ableibig würde ohne Testament / und Vermächnus / Aufftrag / oder Hieligsbrieff zwischen ihnen auffgericht / so mögen des Todten nechste Erben mit dem Lebendigen alle Gereide / Haab und Güther gleichhalb theilen an dem nechsten Tag / ob gleich der eine viel und der andere wenig bracht hat; dan wan sie beyeinkommen im Ehelichen Stand / so haben sie kein besonder Guth / obgleich wäre / daß der Letztlebendige blieben wäre / daß meisten bracht hat / als zu versiehen tausend Gülden / und der Ablebende nicht mehr dan zehn Gülden / dannoch so sollen des ersten Ableibigen nechste Erben mit dem Lebendigen die tausend Gülden mit den zehn Gülden gleich halb theilen / als vorß. steht als mallig fünffhundert und fünff Gülden / und also fort mehr nach Gebühr / waß des Guths minder oder mehr wäre.

15. Ex hoc Articulo indubitatum est 1mò: Bona immobilia non venire in nostram communionem civicam, quia rubrum hujus articuli æquè ac nigrum expressè loquitur von Gereiden Gütheren / & immobilia communia non fiunt nisi per associationem scrinialem.

16. Indubitatum 2dò est, quòd omnia mobilia, quæ conjuges defacto matrimonium contrahentes possident, veniant in communionem, hoc enim textus: Wan Mann und Weib beyeinander kommen / item wan sie beyeinander kommen in Ehelichen Stand / so haben sie kein besonder Guth / clarè decidit.

17. Indubitatum 3tiò est, mobilia per conjuges stante Matrimonio industriâ & labore acquisita communia fieri, per verba, und im Ehelichen Stand beyeinander sitzen / & clariùs hoc in Amplissimi Magistratûs Nostri Edicto Summariissimi per verba gewonnen und geworbene Güther rc.

18. Immobilia verò stante Matrimonio acquisita, in quibus conjuges simul inscriniati sunt, fiunt quòque communia, & desuper unus inscio altero testamento proprietate tenus relicto conjugi alteri usumfructum disponere potest, ùt habetur in supramemorato Edicto Summariissimi.

19. Sed dubium remanet primò, num stante Matrimonio uni conjugi per hæreditatem vel legatum obvenientia; 2dò, uni conjugi specialiter donata mobilia in communionem veniant?

20. Negantium Argumenta sunt primò, quòd hæreditates non communicentur, Heeser *p.* 2. *L.* 18. *n.* 3. quia quod ex alienâ procedit personâ sinè ullo uxoris vel mariti Ministerio, hoc illi tantùm applicandum est, cui obvenit,

Johan

Johan Frideric. Solis *de Bon. Const. matrim. acquis. quæst. 9. n. 8. in fine.* Præsertim ubi non est communio omnium bonorum *L. 3. §. 1. Pro socio.*

21. 2dò: Quòd conjuges donationes sibi non communicent, Heeser *d. L. n* 10.

22. 3tiò, quòd in prædicto articulo de mobilibus per hæreditatem devolutis vel donatis nulla mentio fiat; quod autem Statutum non dicit, nec nos dicere debemus, Gail. *Lib. 2. obs. 33. n. 2.* Tiraquel. *ad Leg. connub. in C. 16. Gloss 2. n. 22.* Statuta enim strictè intrerpretanda, non verò extendenda sunt. Voetz. *in Hist. Julia. n. 177.*

23. Econtra 4tò, quòd in prædicto articulo specificè tantùm loquatur de mobilibus tempore matrimonii contracti possessis, ut ex verbis constat, Wan Mann und Weib beyeinander kommen. Item ob gleich einer viel / der ander wenig bracht hat / quæ verba denotant tempus contracti matrimonii, prout indicat verbum Wan.

24. Sed ego non obstantibus his argumentis defendo, quòd omnia stante matrimonio per hæreditatem vel legatum uni conjugi obvenientia mobilia, item per donationem accepta veniant in communionem nostram civicam propter prædictum Statutum.

25. Et quidem 1mò, quòd in Statuto habeatur, So mögen des Todten nechste Erben mit den Lebendigen ALLE Gereide / Haab und Güther halb theilen / quæ verba Alle Gereide ꝛc. à divisione nil excludunt. Mynsing. *Resp. 65. n. 7.*

26. 2dò: Per verba, Wan sie beyeinkommen / haben sie KEIN besonder Guth: quod verbum dictione universali negativum omnia excludit, Barb. *in Tract. de Dict. usu frequentibus, dict. 229.* Naturam enim universalium negativorum excludere omnia, quæ considerari possunt etiam minima, Scrader. *Consil. 1. n. 236. & seqq.*

27. Unde 3tiò etiam communis usus Forensis observat & moribus receptum est in locis iis, ubi per Statutum vel consuetudinem superstiti conjugi deferuntur omnia mobilia vel eorum medietas attribuitur, quòd nulla habeatur ratio, aut distinctio, quo jure vel titulo, an testamenti, legati, alióve illa præmoriens sua fecerit? prout advertit Chass. *ad Consuet. Burg. rubri. 4. §. 2. n. 8. in fine.* Idémque in Ducatu Juliacensi, Montensi & Archi-Episcopatu Colonienſi, nec non in aliis vicinis Provinciis quotidiana comprobat experientia, quæ nobis debet esse pro viâ veteri & tutâ, ùt ex Bald. refert Nicolaus Everh. *in Topicis suis sub loco à contrario sensu n. 15.* Wernerus Thummermuth *in Tract.* Krumbstab. *3tio fundamento parium Curiæ à consuetudine vicinorum Locorum per totum.*

28. Prætereáque 4tò ultra hæc in extenso Amplissimi Magistratûs Edicto Summariissimi clara reperitur declaratio: daß einer von beyden Eheleuthe über eine Halbscheid aller beweglicher Zubracht B. ererbter oder stehender geworbener Güther nach Gefallen testiren möge / hæc testandi facultas de medietate der ererbten Güther pro libitu testandi infert, illa mobilia esse communia, prout & judicatum fuit in Alto in causa Viduæ Mainone contra Jacobum Mainone filium 1725. den 24. Decembris, quæ sententia in appellatorio confirmata fuit.

29. Contrariis argumentis respondeo 1mò, quòd hæreditates non communicentur Jure Statutario, nego; Jure Communi, concedo. 2dò, quòd in Statuto de mobilibus per hæreditatem devolutis vel donatis nulla mentio fiat, dico, Statutum facere mentionem generaliter de rebus mobilibus, ergo etiam de illis, quæ per hæreditatem devolvunt vel donantur. Ad 3tium: Quòd dictio Wan potiùs conditionem, quàm tempus significet. Besold. *in Tract. pract. in verb.* Wan. ità ut statuentes per verbum Wan sie beyeinander kommen: non determinent exstans, quo contrahatur communio, sed ponant conditionem, quæ si existat, volunt communionem induci.

30. Si nulla vigeat communio bonorum in loco contracti matrimonii, nec tunc communicari bona alterius territorii, tenent DDres suprà citati, nam tunc dicendum est (ajunt) contrahentes eo ipso, quòd matrimonium inierint in loco, ubi Statutum communionem respuit, eandem nullibi con-
31. tractam, sed ubique eandem exclusam voluisse. Econtrario ego insistendo sententiæ Argent. dico bona in loco communionis sita fore communia, etsi in loco contracti matrimonii nulla vigeat communio bonorum.

32. Si sponsus ex domicilio A. ubi viget communio bonorum vi Statuti, & sponsa ex domicilio B. ubi nulla viget communio, contrahant matrimonium alibi, non attenditur Statutum loci contracti matrimonii, quia ut forenses contraxisse intelliguntur, sed domicilium sponsi, Schassan. *ad consuet. Burg. Rubr. de droits & appartenants à gens maries.* §. 2. *in verbis au duché de Bourgogne.* Heeser *p.* 2. *l.* 8. *n.* 31. Rodenb. *tit.* 2. *C.* 5. *n.* 15.

33. Sed quæritur, an communio bonorum, quam conjuges ineunt vi consuetudinis vel Statuti domicilii, permaneat mutato à conjugibus domicilio, si in loco mutati domicilii nulla vigeat communio? affirmativam tuetur Joan. à Sande *C.* 2. *tit.* 5. *decis.* 10. ibique ita Frisiæ judicatum fuisse refert.

34. Sed ego hoc non obstante dico, cùm certum sit, quòd mutato à conjugibus domicilio mobilia aliis subjiciantur legibus, quia in novo loco sita esse intelliguntur, non continuari communionem bonorum contractam in loco antiqui domicilii, si in mutato domicilio nulla vel talis non vigeat communio, qualis vigebat in loco antiqui domicilii. Et hoc certum est quoad mobilia, quæ conjuges acquirunt in mutato domicilio; respectu mobilium verò, quæ acquisiverunt modò in loco prioris domicilii, adstipulor sententiæ Joan. à Sande *d. l.* illa scilicet manere communia, ne permutatione domicilii arbitrio forsan mariti factam uxori vel econverso Jus ex priori statuto quæ-
35. situm auferatur; Quoad immobilia nunquam mutatio domicilii quid adferre vel auferre potest, illa enim semper affixa sunt Statuto loci, ubi sita sunt, & hinc ex præmissis deciditur, quòd inter conjuges, qui domicilium fovent in hâc urbe multísque mobilibus acquisitis transmigrant aliò, domiciliúmque mutant, mobilia in hâc urbe acquisita in mutato domicilio permaneant communia, acquisita verò in loco mutati domicilii, nullâ ibi vigente communione non sint communia.

36. *Quæres.* An in communione bonorum etiam veniant feuda? R. Nec in Statuto introductam, nec in pactitiam communionem bonorum venire feuda, nisi Domini accedat consensus. Tiraq. *de Jure primogen. q.* 4. *n.* 41. Spectatur enim Jus tertii, Domini scilicet directi, quod non maneret illæsum, si citra ejus consensum feuda dividerentur, aut alius adoptaretur vasallus; si verò contrahentes expressè de feudis pacti fuerint, quòd illa in communionem venire debeant, Dominus autem consentire nolit, conjux, qui feuda in matrimonium intulit, in communionem autem conferre non potest, tenetur ad id, quod interest, Frid. à Sande *ad Consuet. Geldriæ t.* 2. *cap.* 3. *n.* 6. Quoad feuda tamen, quæ constante matrimonio speciali titulo fuerunt acquisita, distinguo: vel solus maritus per solennem investituram in possessionem missus est, & feuda non sunt communia, sed mariti hæredes ea accipiunt soli; vel ambo conjuges investiti sunt, & tunc communia ad illorum hæredes pertinent. Frid. à Sande *ad Consuet. feudal. tit.* 2. *C.* 3. *n.* 7.

THESIS VII.

N. I. QUæritur 2dò, quid concludendum sit in casu, ubi stante Statuto in loco A. quòd conjux conjugi suæ nulla bona relinquere possit, Mævius Domiciliatus decumbens in loco A. legat uxori suæ bona sita in loco B. ubi validè conjux conjugi bona relinquere potest, an valeat legatum? cardo quæstionis in eo vertitur, num Statutum Personale

nale sit, num reale; si illud, invalidè legavit Mævius; si hoc, legatum est validum, quia Statutum Reale ad bona extra territorium sita se non extendit, sed res soli tantùm afficit; pro utrâque Sententiâ innumeri stant Auth. atque Personale esse tale Statutum sustinent Thesaurus *quæst. for. lib.* 2. *q.* 4. *n.* 5. Pingiser *quæst.* 29. *n.* 49. Carpan. *ad Statuta Mediol. cap.*
2. 296. *n.* 16. Hâc militantes ratione, quòd Statutum vel consuetudo normam præscribens certo actui à persona peragendo, sinè cujus actûs interventu, contra Statutum nil queat committi, in personam, non in rem sit scriptum tale Statutum, vel quod lex certo posita personarum generi fundatáque in ratione Statûs conjugalis, adeóque qualitatis personalis, personis, non rebus data esse videatur, per consequens non alia sit habenda quàm perso-
3. nalis. Ast contrariam Sententiam rectiùs tenent ac rationibus sustentant fortioribus Argentreus *ad Conf. Brit. art.* 218. *Gloss.* 6. *n.* 29. Rodenb. *tit.* 2. *Cap.* 5. *n.* 1. in quorum sententiam & ego concedo hoc ductus fundamento, quòd, ut personale dicatur Statutum, non oporteat inspicere, quibus personis, aut quorum intuitu sit latum Statutum, verùm quid qualéve illud ipsum sit, quod prohibetur; ùt si reale quid sit prohibitum, qualis est rerum inter conjuges alienatio, reale sit Sratutum, adeóque denominatio Statuti desumenda sit ab objecto, seu re, ad quam applicatur personæ vel inhibita vel permissa agendi facultas: Unde licèt personæ fiat mentio, non ideo Statutum evadit personale, sed ut appareat, de quo hominum genere
4. Statutum loquatur Arg. *leg.* 7. §. 8. *ff. de Pactis.* Ideo dicendum est, valere Legatum in dato casu quoad bona extra territorium statuentis sita, quia in rem scripta prohibitio fines territorii non egreditur, nec legem ponit sitis
5. alibi, Rodenb. *tit.* 2. *cap.* 5. §. 2. In contrario casu contraria sinè dubio obtinet decisio; hinc si in loco, ubi testator suprema subiit, conjux conjugi validè legare possit, non valet legatum bonorum sitorum in loco, ubi Sta-
6. tutum inter conjuges legare prohibet. De Mobilibus si concipiamus casum & ponamus, quòd in loco contracti Matrimonii, vel domicilii conjux conjugi validè legare possit; mutato verò conjugibus domicilio in locum B. ubi nullus conjugum sibi invicem legare potest, alter conjugum è vitæ excedit relictis conjugi in testamento mobilibus, quæri potest, an valeat legatum non obstante Statuto loci B.? R. cùm certum sit, mutantes domicilium, se subjicere debere Statutis novi domicilii, de jure quòque notum sit, quòd legatarius tempore mortis, & quando vult capere legatum, capax esse debeat; certa facienda est conclusio & dicendum, legatum invalidè relictum esse, quia conjux superstes tempore mortis, quod omnium maximè attendi debet, legati incapax erat; Statutum enim domicilii, secundùm quod constat regulari de-
7. bere mobilia, inhabilitat, & incapacem reddit conjugem superstitem. Secus foret, si conjuges iterum ad locum prioris domicilii transmigrâssent, ibíque alter diem obiîsset, tempus omne intermedium, quo conjuges in loco novi domicilii morati fuerunt, nocere non potest dispositioni factæ, sed ea reviviscit. *Arg. L. Si alienum ff. de Hæred.* Carpz. *p.* 2. *const.* 14. *def.* 3.

THESIS VIII.

N. I. QUæritur 3tiò, an Statutum, quod exstat in Ducatu Jul. ac Mont. quòd nemo de bonis stemmaticis testari possit, constringat etiam forenses de bonis in Ducatu Juliæ ac Mont. sitis stemmaticis alibi loci testantes? affirmativam tenet optimus patrii sui Juris interpres quondam Vice-Cancellarius Dusseldorpiensis Voetz *in Hist. Jul. n.* 177.

Adeóque Civis Colon. bona in Ducat. Jul. & Mont. sita, testatmento legare vel

2. alienare non potest nec hìc Coloniæ, nec alibi. Sed si Civis Colon alicui legaverit bonum stemmaticum Juliæ & Mont. an hæredes teneantur ad interesse vel æstimationem? in negativam communis abiit DD. Sententia, eò quòd pro legato, quod de Jure sive Statutario, sive communi non valet, nec præstari debeat æstimatio; cui sententiæ ego quidem subscribo; interim tamen, si ex circumstantiis nasceretut præsumptio, testatorem legatario v. g. indigenti gratificare voluisse, valde in affirmativam inclinarem, *Arg. l. 57. ff. de Legatis* 1. *l.* 10. *C. Legat.* Huc conferunt, quæ tradunt Authores ad casum nulliter
3. legati feudi, quod si constet de innixâ testatoris voluntate, præstari debeat æstimatio, Strick. *in Exam. Feud.* In casu contrà converso integrum est subdito
4. vel incolæ Juliacensi de bonis stemmaticis extra Duc. Jul. & Mont. sitis testamentum condere, eáque bona legare, testamenti nam factio ipsi non est adempta, nec ita, quasi persona testamenti faciendi foret incapax, stemmaticorum bonorum finibus inclusa prohibitio enim alterius loci bona non afficit: neque ea in dubio capienda præsumptio, ut Legislatores alieno territorio leges imposuisse censeantur, Burg. *dicto tract. n.* 45.

5. Quid autem, si in bona ubicunque sita expressim sit conceptum Statutum, ut ne ea legare vel mortis causâ donare quis possit? non minùs dicendum est, donationem vel legatum non propterea labefactari, Carp. *parte* 3. *const.* 12. *def.* 12. non enim potuerunt jurisdictionem, ùt maximè voluerint statuen-
6. tes, ad alibi sita bona directè extendere. Cæterùm tamen jus in re licèt non tribuat Statutum, personas tamen ligare & astringere posse, nulla dubitatio est, adeóque actionem gignere personalem, ut qui citra prohibitionem rem nactus fuerit donantis vel legantis hæredibus personali actione teneatur ad id, quod eorum interest, donationem celebratam, vel rem lega-
7. tam non esse, Rodenb. *tit.* 2. *Cap.* 5. *n.* 5to. Prohibitorium enim Statutum imperare potest, ut persona ei subdita obtemperare debeat, & in contrarium eventum, quòd alteri eo nomine abfuerit, resarcire Rod. *dicto tract. n.* 45. commune quòque DD, Effatum est, Statutum afficere posse personam sibi subditam, etiam quoad bona extra territorium sita, si nominatim statuentes edixerint, Grivel. *decis.* 104. *n.* 44. Hæc ita, si Statuta locorum, ubi bona sita sunt, non repugnent, aut resistant Statuto domicilii.

THESIS IX.

N. I. QUæritur 4tò, in concursu creditorum cujus loci Statutum attendi debeat? Amplissima hæc est quæstio, nec unâ responsione nec unâ distinctione absolvenda; hinc ea, quæ certa sunt, præmittere consultus est; adeóque ut certum dico, quòd in concursu creditorum circa ea, quæ processum concernunt, attendendum sit Statutum loci, ubi peragitur; quoad prælationem vel privilegium verò, quod diversa diversorum
2. bonorum loca tribuunt, distinguo inter bona mobilia & immobilia: Mobilia quod attinet, si diversa loca diversam tribuant præferentiam creditoribus circa mobilia debitoris, attenditur Statutum domicilii debitoris, etsi mobilia in diversis locis sita sint. Gail. *lib.* 2. *obs.* 130. *n.* 13. Heeser *parte* 2 *loco.* S.
3. *n.* 102. In exemplo veritas in propatulo erit: Mercator Colon. mobilia habet in diversis territoriis v. g. Lipsiæ, Francofurti, Amstelodami, alibíque, quæ forsan loca diversam si haberent præferentiam in suis Statutis, ùt si Statutum loci A. tribueret arresto prælationem in bonis arrestatis, in loco B. contrarium obtineret, in loco C. creditores cambiarii in pecunia debitoris haberent præferentiam in loco D. aliud vigeret. Mercatore Colon. fallito, habebítne quisque creditor secundùm Statutum sui loci præferentiam in mob-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mobilibus in suo loco sitis, & ita creditor cambiarius, in pecunia penès fallitum existente? ℟. Negativè, sed omnes creditores secundùm Statutum hujus Urbis in prælatione venire debent. Heeser *dict. loc.* aliíque, & hæc vera
4. sunt, si debitor modò fallitus sit: Secus foret, si executio modò directa esset in mobilia debitoris, qui adhuc in possessione suorum bonorum est; feret enim tunc creditor diligentiæ & vigilantiæ suæ præmium, si quod eo loci mores, ubi in causam Judicati ceperit mobilia præ aliis creditoribus, illud privilegium non tam proficiscitur ex credito, quàm ex actu ipso executionis, super quâ unusquisque Judex rei sitæ adeundus est. Gail. *lib.* 2. *obs.* 100. *n.* 14. adeóque hæc res tanquam concernens exequendi ordinem legem accipiat à loco, ubi lis peragitur, ac præterea pignus, quod Judex constituit in bonis apud se in causam judicati captis, dicitur supplere vicem debitoris, ut proinde res habeatur. ac si ipse debitor bona illa eò loci pignori tradidisset, *L* 2. *cod. si in causam jud.*

5. Sed *Quæres* 1mò, si debitor, Mercator v. g. Coloniensis in diversis locis tabernam in iisque merces habens etiam diversimoda debita contraxerit, num omnes merces in tributum venire debeant? num verò creditores non confundendi, sed singuli mercibus singulorum locorum credidisse intelli-
6. gantur? sunt, qui creditores confundendos negant, sed eos separatim vocando, singulorum locorum merces suis cedere volunt creditoribus, & si quid in uno loco supersit, id cæteris prodesse, eò quod mercibus potiùs, quàm personæ creditum esse intelligatur, *Argumento L.* 5. §. 15. *ff. de Tributoria*
7. *actione.* Mæv. *ad Jus Lub. lib.* 3. *t.* 1. *a.* 10. *n.* 56. Contrarium tamen ego teneo, creditores scilicet in tributum vocandos esse, quia æs alienum non unius loci, sed universarum facultatum est *L fideicom. ff. de judiciis.* Et creditores dicendi sint habuisse respectum ad universum patrimonium in pluribus licèt provinciis distributum; & certè, si verum, quòd non personæ, quæ individua est, sed rei creditum sit, cur igitur dimissis unius loci creditoribus, ad id, quod superest, admittantur creditores loci alterius; in hanc sententiam condescendunt mecum Card. Mantica *de tacitis & ambig. t.* 23. *n.*
8. 28. Rodenb. *t.* 2. *cap.* 5. *n.* 16. Quid si debitor fallitus habuerit domicilium alio, atque alio in loco, singulísque locis sua posita mobilia? ℟. hoc casu utriusque domicilii mobilia Regulari secundùm cujuslibet domicilii Statuta; quoad alia verò mobilia debitorem fallitum conveniri posse in utroque domicilio, adeóque talia mobilia subjacent Statuto domicilii, ubi debitor desuper convenitur: & utroque hoc casu institui potest concursus creditorum.

9. *Quæres* 2dò, quid si foris contractus celebratus, ubi per mores ejusdem loci Jus prælationis inter chirographarios competit, in loco verò domicilii nulla competit inter illos præferentia, num attendendus sit locus contractæ obligationis, num verò locus domicilii? primum videri posset, eò quòd obligationes dirigi soleant à loco, ubi contrahuntur, Masc. *de Statut. concl.* 7.
10. *n.* 80. Verùm contrarium tenendum puto, respiciendum quippe esse locum domicilii, non locum contractûs, utpote qui eò duntaxat pertinet, quò vel arctiùs vel remissiùs ex contractu suo teneatur ipse debitor, adeóque spectatur quoad ipsos contrahentes, qui eo ipso, quòd alio in loco contractum celebrent, ad ejusdem Leges, Formam, Modum, Conditionem, totam denique negotii naturam sui respectu componunt; etenim si quid non ab actu hominum, sed à potestate Statuti proficiscitur, cujusmodi sunt Prælationes, Privilegia, dicendum est vim Legislatoris nullam esse in bona sibi non subjecta respectu creditorum aliorum, qui nullum inibi gesserunt negotium, nec legibus loci istius se submiserunt. Rodenburg *t.* 2. *c.* 5. *n.* 16.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

11. Quod & ampliatur, licèt debitor tempore contractæ obligationis in loco, ubi viget talis præferentia, domicilium foverit, postmodum verò domicilium mutaverit; bona mobilia enim, in quibus prioris domicilii lege tenuit prælationis privilegium, traductis alio domesticis laribus, traducuntur quòque in leges novi domicilii, eâque lege administrantur, Burg. *d. loco*
12. *n.* 21. Hæc de mobilibus, transeam ad immobilia; & quoad illa pono hanc conclusionem: super præferentiâ in bonis immobilibus si cadat quæstio, semper attendi debet Statutum rei sitæ; itaque si Jus tacitæ hypothecæ non idem obtineat in loco rei sitæ, quod obtinet in loco domicilii debitoris, dicendum est, nihil egisse creditorem, qui hujusmodi hypothecæ prioritatem sibi comparavit, cùm æquè atque expressim facto hominis coram uno Judicio hypothecæ nexu devinciri nequeant alterius territorii bona, ita nec Statuti ullius potestas est afficere prædia extrà: posito, debitorem fallitum Mercatorem Colon. hìc creditoribus suis constituisse hypothecam omnium bonorum, moto concursu creditorum frustra prætendunt creditores
13. Colon. Jus hypothecæ in bonis immobilibus sitis in Ducatu Jul. & Mont. existente alio creditore habente in illis Jus hypothecæ, Rod. *in Casu simili. Tit.* 2. 6. 5. *n.*
14. Ratione hypothecæ coincidit Quæstio: num Statutum vel consuetudo, quâ tribuitur mulieri hypotheca in bonis mariti pro restitutione dotis, quæ præter Jus commune viget in locis, ubi illud observatur, afficiat bona extra illum locum sita, ratione quorum contrarium extat Statutum, etsi Christin. in affirm.
15. Sententiam inclnet, illámque variis & compluribus judicatis illustret *t.* 9. *D.* 4. *n.* 29. forsan eâ ductus ratione, quòd, sicut (ut ait) tacita communio bonorum, quæ viget in loco contracti Matrimonii, quia exordium sumit ab ipso Matrimonio, se extendit ad bonâ alibi sita, etiam hæc hypotheca, quæ quòque exordium sumit ab ipsis Matrimonii auspiciis, licèt dos, cujus ratione competit, soluto demum Matrimonio exigatur, ex paritate rationis alia afficiat bona; negativam tamen defendere malo; quid enim Statutum Reale potest tribuere in rebus alieni territorii, in quo statuenti omnis deficit jurisdictio? *L. fin. ff. de jurisdictione*, Ratione mentionatæ dotis de dotalitio
16. *Quæres*, Cujus loci Statutum sit spectandum in eo lucrando, alibi, si contractum Matrimonium fuerit, alibi, si postea contrahentes domicilium constituerint; miror Sententiam Morn. *ad L. Exig. dotem ff. de Jud. in fine*, ubi dicit, placere fori peritioribus, ut uterqne locus spectetur, tam instrumenti dotalis, quàm mutati domicilii, quatenus ambæ locorum consuetudines diversa de præstando dotalitio statuant, quam Sententiam gignere absurditatem, in aprico est; nam si diversa de dotalitio sit loci utriusque constitutio; qui potest locus spectari uterque? nisi velit gaudere superstitem utroque dotalitio tam eo, quod locus contracti Matrimonii largitur, quàm quod mutati domicilii ut migratio adjectionem & auctionem dotalitii potiùs, quàm
17. permutationem effecisse dici debeat. In aliâ atque meliore opinione est Burg. *t.* 2. *n.* 10. ut si rei immobilis dotalitium in controversiam veniat, semper
18. respici debeat locus rei sitæ, mobilis verò locus contracti Matrimonii. Sed distinguendum esse, ego existimo, inter dotalitium conventionale Statutarium vel consuetudinarium; circa dotalitium conventionale rei immobilis non tam attendendum est, utrùm in loco rei sitæ par de lucrando dotalitio exstet Statutum, quàm an in loco rei sitæ per pacta dotalia dotalitium constitui possit; si ita, rectâ viâ citra ulteriorem traditionem res aut jus in
19. rem contrahentibus acquiritur; Si verò locus rei sitæ non permittat, ut per pacta dotalia dotalitium contrahentes sibi constituant; comparata nihilominus est actio personalis ex conventione descendens, quâ ad consequendum dota-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dotalitium agit superstes, aut ùt aliàs consequatur id, quod suâ interest, ipsum rei immobilis dotalitium habuisse, si ignarus istius Statuti sit à muliere de-
20. ceptus. De dotalitio Statutario rei immobilis verum est, quod & supra *Burg.* in terminis retulit, respiciendum scilicet esse locum rei sitæ, *Arg. dicto*
21. *tract. a* 218. *Gloss.* 6. *n.* 46. De mobilibus rei dotalitiæ si quæratur, cum communi ferè sententiâ teneo, attendendum esse Statutum, sive consuetudinem loci, & in quo contractum est matrimonium & contrahentes aliquamdiu foverunt domicilium, non illius, quod postmodum maritus mutavit; quia dotalitium causam trahit, procedítque ab ipso Matrimonii contractu, non ab obitu alterutrius ex contrahentibus, adeò ut stante matrimonio, sit illud in habitu, licèt alterutrius morte exeat in actum, jus enim quæritur à nuptiarum die, Scopping *de Mor. Paris. lib.* 2. *t.* 2. *n.* 12. quòd per mutationem domicilii, quæ ferè pendet ab arbitrio solius mariti, mulieri in Jure antè quæsito præjudicari non debeat, & sicut jura communionis exiguntur ad tempus contracti matrimonii, ita & exiguntur dotaiitia, cùm utrumque proficiscatur à voluntate contrahentium, quam incundo matrimonium habuerunt, Rod. *t.* 2. *C.* 4. *n.* 5. *t.* 12.

THESIS X.

N. I. IN territorio A. invenitur Statutum, vi cujus promogenitus bonum stemmaticum das Adliche Elterliche Stam-Hauß / & quidem inter plura optimum præcipit, quale Statutum viget in Archi-Diœcesi Colon vid. Ertz-Stiffts Cölln Rechts-Ordnung *t.* 5.

In territorio B. Primogenitus nullam prærogativam præ cæteris habet; in hoc territorio optimum bonum stemmaticum situm est, in illo Primogenitus domicilium fovet. Hinc *Quæritur* 5tò, Num Primogenitus vi Statuti territorii A. bonum in territorio B. situm ùt optimum capere possit? Ad resolutionem inspici oportet, num Statutum territorii A. personale sit, quale videtur, quia Statum Primogeniti excellentiorem facit, atque ita mutans conditionem vel Statum hominis, num verò reale sit; quale esse ego firmiter teneo, quia circa ipsam Primogenituram nihil statuit, sed Primogenituræ certa bona attribuit, ideóque principaliter dispositio circa bona in Statutum venit, atque ita vi Statuti territorii A. ùt realis, quod territorium non excurrit, Primogenitus bonum stemmaticum in territorio B. situm præ aliis sibi accipere non potest, sed bonum in territorio statuentis situm, vel si plura sint, inter illa optimum præcipiet.

2. Sed quid, si non diversa, sed eadem circa primogenituram concurrant Statuta, atque Statutum territorii A. Primogenitum præhabito bono stemmatico, cum reliquis fratribus vel sororibus in cæteris bonis æqualiter dividere debere disponit? simile Statutum invenitur in Territorio B. æquale in Territorio C. præcipiétne primogenitus vi Statutorum cujuslibet Territorii
3. bona stemmatica, in quolibet territorio sita? ex eo, quod præmisi, tale Statutum esse Reale, necessariò affirmativa sequi debet conclusio, atque ita primogenitus omnia præcipit bona stemmatica; subinde in aliis bonis æqualiter cum cæteris fratribus aut sororibus dividet; quodlibet enim Statutum sui territorii bona afficit, & secundùm illud primogenitus succedere de-
4. bet; econtra verò si Personale esset tale Statutum, quod non est, contrarium tenendum esset, quia tunc attendi deberet Statutum domicilii, & secundùm illud præhabito bono stemmatico in territorio domicilii sito, in aliis omnibus bonis æqualiter cum suis fratribus vel sororibus succedere, illáque dividere deberet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

THESIS XI.

N. I. MUtatio domicilii quin mutantes novis ſubjiciat Statutis, dubio caret: Hinc non ineptè *Quæritur* 6tò: Minorennis ætas, quæ hìc Coloniæ ante completum 25. Annum non ſolvitur, an diſſolvatur, ſi minor Colon. tranſmigret aliò, ubi 20. anno minorennitas finitur? Indiſtinctè affirmarem, tranſmigrationem domicilii minorem aliis ſubjicere legibus; ſed quia poteſtas tranſmigrandi non à minore, ſed à tutore, ſinè quo minori nulla facultas eſt mutandi domicilium, dimetiri
2. debeat: Quæſtio in eo eſt, an tutor in domicilii mutationem conſenſerit, & hoc caſu Colon. minor, ſi domicilium transferat in locum, ubi minorenni-
3. tas 20. anno exſpirat, major fiet. Diſſentiente autem tutore, minorem domicilium mutare poſſe, nego. Ex dictis ſequitur, in caſu converſo indefinitè dicendum, majorem in alio loco, ubi 20. anno minorennis ætas ſolvitur, ſi tranſmigret aliò, domiciliúmque Coloniæ foveat, evadere rurſum minorem, Roden. *t.* 2. *C.* 6. *n.* 5. Quia majori alibi libera eſt facultas mutandi domicilium, ſibique id, quòd antea major, mutato domicilio ſe iterum tu-
4. telæ ſubjecerit, imputare debet. Nec abſurditas aliàs deeſſet, ſi talis inter omnes loci mutati domicilii incolas, qui completo nondum 25. Anno tutelæ detinentur, ſolus ſui Juris ambularet. Burg. *dictâ L.* 2. *n.* 5.

5. De Perſonis vidimus, qualem mutationem cauſet mutatio domicilii; nunc videamus de rebus, non immobilibus, quia hæc perpetuò ſui territorii regulantur legibus, atque ita nulla mutatio intrare poteſt; Sed de mobilibus, qualem mutationem gignat translatio domicilii. Ponamus, incolæ Ducatus Jul. & Mont. ubi 2dùm Ordinationis *Cap.* 95. ultimus, ſuperſtes eſt Hæres mobilaris, hìc Coloniæ mutato ex Ducatu domicilio larem fovent, hícque alter è vivis relictis liberis decedit, utrùm mutatio domicilii efficiat, ut non debeat attendi Statutum prioris domicilii, ſeu Ducatûs Jul. & Mont. ſed Statutum hujus Urbis? Reſp. Apud me certum eſſe, ſucceſſionem circa mobilia futuro tempore acquirenda debere fieri ſecundùm Statutum hujus Urbis, atque ita juxta *Art.* 12. Statutorum Colon. Dixi quoad mobilia futuro tempore acquirenda; nam quoad antè acquiſita debet attendi mens mu-
6. tantium domicilium, & conferenda ſunt dicta ſuperiùs *Th.* 6. *n.* 34. Quoad ſolemnitatem requiſitam circa actum aliquem attendi debere locum, ubi conficitur, ſuprà aſſerui, nec ullam unquam induci poſſe mutationem Juris mutatione domicilii, verum eſt; etenim, quia foris celebrare licet actum ſecundùm loci illius exteri morem, qui non deſinet valere, etſi domum reverſus fueris, utique perdurabit ille Actus. quem in loco feceris domicilii, licèt ex poſt illud mutaveris, Peck. *de teſt. Conjugum Lib.* 4. *C.* 25. Unde teſtamentum Civis Colon. factum coram Notario & duobus teſtibus, tranſmigrantis in Ducatum Jul. & Montium, non perdidit vires ſuas, etſi in Ducatu Jul. & Mont. ad validitatem teſtamenti major requiratur ſolemnitas.

THESIS XII.

N. I. CUm in omni Jure diverſitas Statutorum diverſas quandoque & dubias cauſet quæſtiones: Hinc Quæritur 7mò ex Jure feudali: Utrius loci leges inſpici conveniat, loci ne ſervientis, an dominantis? Si quæſtio incidat de ſucceſſione, de contractu, vel alio feudi Jure, non de legibus Politiam ſeu civilem adminiſtrationem reſpicientibus, Burg. *ad Leges Fland. t.* 7. *Frid. à Sande ad conſuet. feud. Geld. t.* 3. *C.* 5. *n.* 11. Occurrentibus Statutis contrariis reſpici volunt Statuta Curiæ dominantis, eò quòd leges

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

leges feudales metiri oporteat à providentiâ Domini directi, ut quascunque ille leges in feudi concessione dixerit, eæ à vasallis sint custodiendæ sine loci alterius consideratione, adeóque quoties instrumenta Investituræ ejus, quod quæritur, non meminerint, recurri oportere ad Jura loci dominantis, quia Dominus directus ea omnia videtur direxisse ad Statuta suæ Curiæ, ubi & præstationem juramenti aliorúmque solemnium, seu investituram intervenire voluit. Verùm contrarium tenere malo, respicienda scilicet esse Statuta loci servientis, sive loci ubi feudum situm est, si Investitura clara quæstionis interpres non sit; Rosenthal *de Feud. Cap.* 1. *concl.* 15. *num.* 16.21.& 31. Clarè decidens, observari & attendi debere locum feudi siti. Etenim deficiente jam aliquâ investituræ lege non puto Dominum ad locum curiæ dominantis respexisse; sed si de novâ aliquâ lege, non appareat, dicenda esse relicta feuda veteri sui Juris dispositioni nihilo prorsus mutato, de quo per tenorem investituræ aliter non est provisum; hinc de successione Feudi, si investitura nihil cantet, attendendum dico Statutum loci Feudi siti, seu loci servientis. Wamef. *Cent.* 5. *Constit.* 5. *n.* 3. & 4.

3. Hoc autem lubens annuo, à concessione seu providentiâ Domini directi Feudi leges dependere, ut quam Patronus succedendi legem in feudi concesionem dixerit, ea pro lege sit servanda, adeóque reprobanda sententia putantium, in potestate Domini directi non esse feudum unius territorii legibus succedendi causâ subducere, & ad jura componere alterius; Rosenth. *loc. cit. num.* 8. dicens ibidem, Dominum directum statuere posse, ut observari debeat locus suæ curiæ, non rei sitæ, quid enim notius, quàm feuda ad posteros deferri ex lege investituræ, cui succedendi modus ferè inseritur, unde illa vulgata: feudum ex pacto & providentiâ majorum. Feudum pro se & descendentibus. Pro masculis exclusis fœminis. Et si quæ ejus generis plura sint: ante omnia enim sequimur, quod inter contrahentes actum est tenore investituræ naturam feudi informante. Grot. in *Manud. l.* 2. *p.* 41. *n.* 8. *Et certè.* Et quid mirum, rei suæ Dominum legem adjicere posse, quam voluerit, cùm & pactis dotalibus ordo succedendi introducatur, alius ab eo, quàm fert locus rei sitæ, & cujusvis hominis testamentaria provisio tollat provisionem legis. Rodenb. *tit.* 2. *C.* 5. §. 17.

4. De Quæstionibus feudalibus vel controversiis ventilandis, quoad modum & ordinem procedendi attendi debere leges vel Statuta curiæ dominantis, nemo erit, qui in dubium revocet; hoc enim censetur ita inter partes actum, eò quòd Dominus directus curiam ideo sibi constituerit, quodque ejusdem curia ad nihil aliud spectet, quàm ut in illâ de feudalibus quæstionibus discertaretur & judiciales feudi traditiones peragerentur; lis enim, vel modus procedendi semper regulari debet more loci, ubi ea peragitur.

THESIS XIII.

N. I. CONflictus Statutorum frequenter etiam occurrit in materiâ Canonicâ, Festorum, Jejunii, & Abstinentiæ; ubi dico primò, peregrinus veniens in locum, ubi ex Statuto speciali est festum, jejunium, vel abstinentia, non ligatur hoc speciali Statuto, nisi vel longiore tempore in loco commoretur, aut aliàs ratio scandali subsit. Engel. *ad jus Canon. de legibus n.* 33.

2. Dico 2dó: Potest peregrinus se Statuto loci, per quem transit, statim conformare, ùt peregrinando per Hispaniam diebus Sabbatinis vesci intestinis animalium. *Engel. l. cit. n.* 34.

3. Dico 3tiò: Veniens ex patriâ, ubi speciale Statutum fuit, in terram, ubi jus commune viget, statim se huic conformare tenetur. Engel. *loc. cit. n.* 28. *&* 34. Plures similes possent moveri quæstiones, ut, si in loco domicilii sit speciale festum, an inde horâ 8vâ, nonâ, vel decimâ vel duodecimâ migraturus aliò, ubi hoc festum non est, priùs in loco domicilii, antequam iter auspicetur, Missam audire debeat? item, si in die suscipiendi itineris sit jejunium, vel abstinentia in loco domicilii, unde eâdem die intendet aliò concedere, an jejunare, vel abstinere teneatur, donec excesserit territorium sui domicilii? tales inquam & plures similes solent moveri quæstiones; sed quia merè Theologicæ sunt, & ad forum internum pertinent; eapropter ad Theologos remitto.

Pro morali Thesium de *Conflictu Statutorum* Epilogo, Hussæus Vates in Lege Veteri bene vitam hominis super terram indigitat ac definit militiam; in Lege Novâ magnus Præco Gentium adstipulans, sese certamen bonum certavisse, ideóque repositam sibi esse Coronam justitiæ, sanctè gloriatur: cùm proinde nemo ullus à Statuto confligendi æquè, ac moriendi fit eximius, si spem triumphandi conceperit; didacticum subjicio

DVpleX VIatorI CabaLVM:

Lis	modò;	*Conflictu*	pugiles	ornemus	arenam:
119.	134.	431.	391.	495.	157.

Summa 1727.

Justitiæ	*Statam*	profers	Themis	eja	Coronam!
523.	322.	371.	242.	15.	254.

Summa 1727.

COROLLARIUM

I.

STatutis Principum, vel Magistratuum Laicorum obligantur non solùm statuentium subditi, sed & forenses, advenæ: Et quidem 1mò: ratione vectigalium, pedagiorum, tributorum. 2dò: ratione ordinis processûs in loco statuentis prosequendi. 3tiò: Solemnitatibus ad contractum in loco, ubi celebratur, requisitis, quoad bona in territorio statuentis sita & onera bonis imposita.

II.

In materiâ communi Laicis & Clericis, etiam Clerici Statutis Laicorum Principum ligantur indirectè nimitum, Engel. *de Constit. n.* 35. *vers. dim.* Pyring. *eodem tit. n.* 79. *& seq.* Unde infertur, quòd Clerici in Ducatu Jul. & Mont. debeant testari adhibitis notario, vel parocho, insupérque quatuor testibus, ut requirit Statut. Jul. in testamentis, referente Voetz. *in hist. Juliac. n.* 41.

III.

Quæstio difficilis. An bona ab ante tributaria, postea translata vel devoluta ad Ecclesias, Monasteria, vel Clericos transeant cum hoc onere, vel post talem transitum deinceps evadant libera? fieri liberas defendit Pyring. *extra de immunit. Eccles. n.* 75. *& seqq.* Contrariam tamen sententiam probabilem dicit Engel. *eod. tit. n.* 26. *in fine*, quam absolutè tenet Gail. *lib.* 2. *obs.* 32. *n.* 7. Quam utpote ex Doctorum Authoritate probabilem, & in multis locis usu receptam erroris damnare non audet ipse Pyring, etsi de cætero acerrimus adversariæ sententiæ defensor & propugnator.

IV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf